



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De muliere, quæ cum duobus fratribus fornicata est. Caput i.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. Burchardi

ECCLESIAE VVORMA- ciensis Episcopi, de Fornicatione, Decretorum Liber XVII.

ARGUMENTVM LIBRI.

Liber hic Fornicationem, & incestum diuersi generis complectitur, & quæ correctio, pœnitentiæque iis, quibus vitii sunt inuoluti, debeatur, docet.

De muliere, quæ cum duobus fratribus fornicata est. Cap. I.

*Ex cõcil.
Neocæsa.
cap. 2.*

M

ulier si duobus fratribus nupserit, abiciatur vsque ad mortem: verum tamen in exitu propter misericordiam, si promissum quod facta incolumis, huius coniugii vincula dissoluat, fructum pœnitentiæ consequatur, & communio ei concedatur. Quod si defecerit vir, aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

De eadem re. Cap. II.

*Ex decr.
Martini
pap. ca. 9* **S**I qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas uxores duxerit, à communione separentur vsque ad mortem. In morte, pro misericordia viaticum accipiant.

De illo qui cum duabus sororibus fornicatus est, quarum vna vxor fuerat. Cap. III.

*Ex cõcil.
Aurelia.
cap. 6.*

QVI dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis antea vxor fuit, neutram ex ipsis habeat: nec ipsius adulteri vnquam coniugio copulentur.

De illo qui se ignorante cum sorore vxoris suæ fornicatus est. Cap. IIII.

*Ex cõcil.
Triburi.*

In lectum mariti absente vxore soror iuit vxoris: & ille vxorem suam putans, dormiuit cum ea. Superius visum est, si ipse per securitatem veram hoc probauerit.